Quelle: http://manuscripta.at/?ID=445
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



220

dunt introire in regnum dei. Qui magis admirabantur dicentes ad semetipsos. Et quis potest saluus fieri? Et intuens illos ihs ait. Apud homines impossibile est sed non apud dm. Omnia enim possibilia sunt apud dm. Et cepit petrus ei dicere. Ecce nos dimisimus omnia: et secuti sumus te. Et respondens ihs dixit. Amen dico uobis. nemo est qui reliquerit domum aut fratres aut sorores aut patrem aut matrem aut filios aut agros propter me et propter euangelium. qui non accipiat centies tantum nunc in tempore hoc. domos et fratres et sorores et matres et filios et agros cum persecutionibus: et in saeculo futuro uitam aeternam. Multi autem erunt primi nouissimi. et nouissimi primi. Erant autem in uia ascendentes hierosolimam: et praecedebat illos ihs. et stupebant et sequentes timebant. Et assumens iterum. xii. cepit illis dicere quae essent ei ventura. Quia ecce ascendimus hierosolimam: et filius hominis tradetur principibus sacerdotum et scribis et senioribus. et condemnabunt eum morte et tradent eum gentibus et illudent ei. et conspuent et flagellabunt et interficient eum et tertia die resurget. Et accedunt ad eum iacobus et iohes filii zebedei dicentes. Magister. uolumus ut quodcumque petiuerimus facias nobis. At ille dixit eis. Quid uultis ut faciam uobis? Et dixerunt. Da nobis ut unus ad dexteram tuam et alius ad sinistram tuam sedeamus in gloria tua. Ihs autem ait eis. Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem quem ego bibam? Aut baptismo quo ego baptizor baptizari? At illi dixerunt. Possumus. Ihs autem ait illis. Calicem quidem quem ego bibo bibetis. et baptismo quo ego baptizor baptizabimini: sedere autem ad dexteram meam uel ad sinistram non est meum dare uobis sed quibus paratum est. Et audientes decem. cepiunt indignari de iacobo et iohe. Ihs autem uocans eos. ait illis. Scitis quia hi qui uidentur principari gentibus dominantur eis: et principes eorum potestatem habent eorum. Non ita est autem in uobis: sed quicumque uoluerit maior fieri. erit uestrum minister. Et quicumque uoluerit primus in uobis esse. erit omnium seruus. Etiam filius hominis non uenit ut ministraretur ei. sed ut ministraret: et animam suam daret redemptionem pro multis. Et uenitur iericho. Et proficiscente eo de iericho cum discipulis eius: et plurima multitudine. filius thimei bartimeus caecus sedebat iuxta uiam mendicans. Qui cum audisset quia ihs nazareus est cepit clamare et dicere. Ihu fili dauid miserere mei. Et comminabantur ei multi ut taceret. At ille multomagis clamabat. Fili dauid miserere mei. Et stans ihs praecepit illum uocari. Et uocant caecum dicentes ei. Animequior esto surge uocat te. Qui proiecto uestimento suo. exiliens uenit ad eum. Et respondens ihs ait illi. Quid uis tibi faciam? Caecus autem dixit ei. Rabboni ut uideam. Ihs autem ait illi. Uade fides tua te saluum fecit. Et continuo uidit: et sequebatur eum in uia.

Et cum adpropinquarent. xi. hierosolimis betheniae ad montem oliuarum. mittit duos ex discipulis suis: et ait illis. Ite in castellum quod est contra nos: et statim introeuntes illuc. inuenietis pullum ligatum. super quem nemo adhuc hominum sedit. soluite illum: et adducite mihi. Et si quis uobis dixerit. quid facitis: dicite quia domino necessarius est